



1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.



8966

1776, 11.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
TESTAMENTO  
NOTARIO ET DVOBVS TESTIBVS  
OBLATO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXIV. AVGVST. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

IOANNES CHRISTIANVS DANGLOFF

LOSSA - THVR.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.




DE  
TESTAMENTO  
NOTARIO ET DVORVM TESTIVM  
OBLATO

ILLVSTRIS ROTVM ORDINIS GRATIA  
FRANCO  
D. CHRISTIANO IHN. BREVNING  
PROVINCIALI ORDINARIVM RAT. ET GRANT.  
ET SOCIET. LEGALIVM

IN AVDITORIO IURIDICO  
DIE XXIV AVGVSTI ANNO MDCCCLXXXV  
DEFINDET  
IOANNES CHRISTIANVS DANGLÖFF

---

LITIS  
EX OFFICINA BUCHHÄNDL.



DE  
TESTAMENTO  
NOTARIO ET DVOBVS TESTIBVS  
OBLATO.

---

§. I.



Notariorum tantam esse fidem, vt, quae requi-  
sita eorum praesentia peragantur, ab iis fide  
sua interposita plene probent confecto in-  
strumento, satis manifestum est ex lege Ma-  
ximiliani Imperatoris. Hinc non est dubium, si praesente  
Notario adhibitis duobus testibus, solenniter testamentum  
conficiatur, ipseque Notarius, qualiter quibusque seruatis  
solennitatibus testamentum factum sit, testetur adhibitis ad  
praescriptum legis de Notariis solennibus et requisitis,  
quin testationi plena fides habeatur. Facile patet, nobis  
non esse sermonem de iis Notariis, qui librarii erant atque  
ita dicebantur, quod callide per notas seu sigla scribere at-  
que quae ab aliis proferrebantur, excipere sciebant, sed de  
iis dicimus, quos nostro tempore ab Imperatore ordina-  
tos habemus, quibusque Maximilianus, quae seruanda ve-  
niat, sua ordinatione praescripsit.



## §. II

Causa itaque, quae libelli argumentum est, haec est: fecerat pater familias testamentum in scriptis suaque manu subscripserat, post aduocato notario, qui duobus testibus stipatus acceperat, tabulas testamenti offert addita declaratione, hanc suam continere vltimam voluntatem, simulque rogat vt accipiat atque testimonio confecto seu instrumento confirmet suam quam dederat declarationem. Notarius non tantum acceperat dictas testamenti tabulas, sed instrumentum confecerat, quo testabatur, se a patre familias testatore esse requisitum atque rogatum, vt vltimam suam voluntatem accipiat deque ea oblatione iustum testimonium ferat, seque illud a testatore accepisse, eumque quaesuisse; an has tabulas vltimam suam voluntatem agnoscat, eo adfirmato stipulata manu in protocollum recepisse atque ex eo in forma probante instrumentum confecisse. Mortuo post testatore illud ipsum testamentum cum suo instrumento heredibus scriptis exhibet, quibus sese accepta possessione hereditatis opponunt defuncti heredes intestati. Quaesitum, quis iustius arma induerit.

## §. III.

Non negari potest, si pater familias iudici insinuas-  
se, tabulas illas testamenti tanquam iudiciale valuisse sola  
subscriptione nominis et agnitione coram iudice facta. At  
vero notarius, tanquam iudex chartularius habetur, eius-  
que fides comparatur cum fide iudicis: Sic coram Nota-  
riis actus peraguntur, qui voluntariae sunt iurisdictionis.  
Iis vero praesentibus pacta sunt inter coniuges dotalia,  
nec dubitatur, quin recte et in iis successio stabiliatur. Et  
quis adeo ignorat apostolos notariorum testimoniales,  
quos



quos conficit, si coram eo appellatio interposita, de quibus praeter STRYCKIUM in *Coll. Pract. C. XXIII. §. 10.* videndus KNORR *Anleitung zum Gerichtl. Process. c. XXVI. §. 8. n. e.* Testes a Notariis examinari probant rotuli notariorum, de quibus LUDOVICI *diff. de Notario testes examinante.* Nec turbant haec Iura Electoralia, quae quidem Iuri Communi ex parte derogant, non tamen tollunt ipsa Notariorum iura. Quapropter, cum coram iudice in testando sufficere videatur declaratio, quod quis tabulas testamenti agnoscat suas suamque ultimam voluntatem, vix ratio adesse videtur, cur Notario, si coram eo aequalis mentis testatio facta sit, minor habenda sit fides.

§. IV.

Sed quidquid sit, verior est sententia contraria. Quamquam enim publica fides Notariis tribuenda in iis testationibus, quae ex rogatu partium coram eodem facta sunt, ut MEVIVS *Consil. CVIII. n. 47.* adfirmare videtur; tamen neque omnino comparandus ipsemet cum iudice, neque eidem voluntaria perfecta iurisdictio tribuenda. Hinc recte adseruit Petr. de LUDWIG *de Pseudotutore et curatore Notarii*, coram Notario nec impuberibus tutorem, neque minorennibus curatorem dari confirmarique posse, cum nemo neget, tutoris dationem non ad contentiosam sed voluntariam iurisdictionem referri posse. Dein, quamvis coram notario successoria pacta recte possint fieri, quippe illa pacta non per Notarii fidem suam robur obtinent, quae valitura essent etiam absque praesentia Notarii; tamen comparatio pacti successorii nulla est cum testamento, in quo ex autoritate iuris recepti, quod illa pacta plane



improbat, maior solennitas requiritur. Praeterea Notarii fides, eo tantum tendit, vt per eam certi reddamur, quod, quae acta gestaue sunt, ad legis obseruantiam sint peracta. Hinc omnino si recte obseruatas externas in testamento solennitates testetur legitime Notarius, ni alia et contraria probatio adsit, omnino fides plena habebitur Notario. Nunquam vero solennitates ipsas supplet praesentia Notarii sua fide publica. Tandem, quod illae solennitates, quae iura in testamentis requirunt, non obseruentur, si praesenti iudici insinuetur atque iudiciale fiat testamentum, causa in priuilegio quaerenda est lege statuto; vi enim legis illae solennitates, quae in testamento priuato obseruandae, penitus remissae sunt. At nulla lex adest, quae testamenta Notariis oblata a solennitatibus liberet. Cum vero singularia iura beneficam extensiuamque haud admittant interpretationem, ea solennitatum remissio in testamento iudici oblato ad testamentum coram Notario confectum extendi nunquam poterit.

### §. V.

Quapropter si ad illam, quam retulimus speciem respicimus, recte quidem testatur fides Notarii suo instrumento, quod, quas paterfamilias obtulerat tabulas, ab eodem pro vltima sua voluntate esse declaratas; at cum non sit illa, quam suam vltimam voluntatem dixerat, legitime confectum testamentum omnibusque solennitatibus a legibus praescriptis munitum, nunquam vim veri atque legitimi testamenti habebit, quam sola Notarii attestatio tribuere nequit. Neque a fori opinione nostra abhorret sententia. Exemplum simile exhibet BERGERVS *Oecon. Iur. L. II. Tit. IV. Th. III. n. 4.* Videlicet pater familias

so-





solenni testamento Caiam eiusque liberos heredes ita scripserat, ut semis ad Caiam alter ad illius liberos veniat. Post coram Notario duobusque testibus sese declarat, velle se, ut Caia cum liberis in viriles partes succedant. Reiecit Facult. Iurid. Viteberg. hanc declarationem tanquam novam ultimam voluntatem ob id, quod iuri aduersetur, cum iustae solennitates deficiant.

§. VI.

Aliam, quae cum nostra conspirat facti speciem proposuit KAESTNERVS in *Supplement. ad Prompt. Bertichianum in v. Notarius p. 837.* Obtulerat ei, quem patrimoniali Iurisdictione praefecerat nobilis, qui simul Notarius erat testator quidam testamentum. Is accipit oblatum testamentum, sed quam, de oblatione fecerat testationem non ut iudex consignauerat et subscripserat, sed ut Notarius. Recte responderant Scabini Lipsienses, illud testamentum haud valere, cum fidem haud mereatur tanquam iudiciale, quod ut iudiciale conceptum non sit, neque valere posse ut extraiudiciale, cum solennitates praescriptae deficiant.

§. VII.

Potest tamen vnica exceptio statui in testamento parentum priuilegiato. Cum enim in hac testamenti specie, sola patris voluntas expressio anno et die eiusque subscriptione absque solennitatibus sufficit, et si nuncupatiue fiat, duo testes ex NOVELL. CVII. cap. I. tantum probationis loco requiruntur, nulla superesse potest dubitatio, si tunc pater scriptum testamentum inter liberos eadem de-



declaratione offerat Notario, vt supra rerulimus, vel nuncupatiue declaret voluntatem coram Notario et testibus, quin testamentum omnino valeat et probetur ex Instrumento Notarii. Valuisset enim absque Notario vtrumque et scriptum et nuncupatiuum; sed Notarii tunc attestatio faciliorem exhibet probationem, cum per Notarium non suppleantur solennitates, quae nullae in vtroque requirebantur.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



f  
TA-706

nur 34 Stk. bisher verkauft

VD  
18



8986

1776, 11.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
TESTAMENTO  
NOTARIO ET DVOBVS TESTIBVS  
OBLATO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXIV. AVGVST. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

IOANNES CHRISTIANVS DANGLOFF

LOSSA - THVR.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

